

Ad 45. Quoniam Sua Majestas per Benignam suam Resolutionem erga propositum in eo Articulum, ut Flumen immediate Regno Hungariae incorporetur, clementer declarare dignata sit, quod antequam decretoria resolutio superinde eddatur, et concernentes Germanicas Provincias, et ipsum S. R. Imperium ea-tenus audire velit, Illustrissimi proinde Domini SS. et OO. ea ipsa fundamenta, quae jam hoc in passu per Dominos Regnicolares Deputatos proposita sunt, Suae Majestati Sacratissimae denuo humillime repraesentanda ordinarunt, quo Sua Majestas Sacratissima Urbem et Portum Fluminensem immediate Regno Croatiae, mediate vero per hanc S. Regni Hungariae Coronae benigne incorporare; quod si autem id impetrari non posset, totum illum Districtum, qui usque fluvium Flumare protenditur, quive ex indubitata Regni Croatiae Jurisdictione Jurisdictioni Gubernii Fluminensis ante paucos annos subjectus exstitit, a Jurisdictione Gubernii Fluminensis eximere, atque pristinae Regni Croatiae Jurisdictioni, erecto Buccari distincto Capitaneatu, restituere dignetur.

Ad 47. Quoad jus Statuum Candidatos pro Dignitate Banali proponendi Inclyti Domini SS. et OO. reservarunt sibi facultatem postulatum isthoc in proximis Generalibus Comitibus reiterandi.

(Caeteris exmissis.)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

## 1792. MENSE APRILI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1792, 20. et sequentibus Mensis Aprilis diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Septingentesimo Nonagesimo Secundo, Vigesima et sequentibus Mensis Aprilis diebus in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitiss Joannis Erdödy de Monyorokerek, Arcis et Civitatis Varasdiensis Haereditarii Capitanei, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis Perpetui Comitiss, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, Eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii, Camerarii, Unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium Regiminum Banalium Proprietarii Colonelli, Generalis Campi Mareschalli Locumtenentis, et Tabulae Banalis Praesidis, Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae celebratae Congregationis Generalis

Acta et Articuli.

(Caeteris exmissis.)